



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEMAGNUS QUIPPEBEATA MARIA VIRGO PROPRIO SUB
TITULO «CHIQUINQUIRÁ» MILITUM

VENETIOLANORUM «FUERZAS ARMADAS DE COOPERACIÓN O GUARDIA

NACIONAL» NUNCUPATORUM CAELESTIS PATRONA CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Magnus

quippe atque revera laudabilis est cultuu quo clerus et populus Venetiolanae Civitatis gloriosam Virginem Mariam

peculiari sub titulo «Chiquinquirá» ab antiquis temporibus prosequuntur. Cum igitur Venerabilis Frater Martialis Ramírez

Ponce, Episcopus titulo Carianensis atque Auxiliaris Caracensis seu S. Iacobi in Venezuela, communia vota excipiens,

Beatae Mariae Virginis sub titulo «Chiquinquirá» electionem ut Patronae illorum militum Venetiolanorum qui vernacula

lingua «Fuerzas Armadas de Cooperación o Guardia Nacional» appellatur probavisset cumque insuper litteris die VIII

huius mensis Iulii hoc anno datis ab hac Apostolica Sede petivisset ut eadem electio et approbatio, ad normam

«Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30,

confirmarentur, Nos, cum omnia secundum ius peracta esse constet, admotam postulationem propenso suscipere animo

voluimus. Cuncta ergo rata habentes quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis olim a Nobis

facultatibus, hac de re statuit, certa scientia ac matura deliberatione deque plenitudine Apostolicae potestatis, harum

Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem proprio sub titulo «Chiquinquirá» militum

Venetiolanorum «Fuerzas Armadas de Cooperación o Guardia Nacional» dictorum apud Deum Patronam confirmamus,

omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Denique mandamus ut hae Litterae Nostrae

efficaces sint suosque effectus sive nunc sive in posterum habeant. Contrariis nihil obstantibus.*Datum Romae, apud*

Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Iulii, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostr

*secundo.*AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana